Alius modus facilè creandi LOGARITHMOS numerorum compositorum, ex datis LOGARITHMIS suorum primorum.

SI duo numeri datorum Logarithmorum, *inuicem multiplicati componunt tertium; eorum* Logarithmorum *aggregatum erit tertij* Logarithmus.

Item si numerus per numerum diuisus producit tertium, è primi Logarithmo *secundi substractus, relinquit tertij* Logarithmum.

Si ex numero in se quadratè, cubicè, supersolidè, &c. ducto, producitur alter quiuis, ex primi Logarithmo *duplato, triplato, aut quintuplato, producitur illius alterius* Logarithmus.

Item si ex dato per extractionem quadratam, cubicam, supersolidam, &c. extrahatur radix, datique Logarithmus *bisecetur, trisecetur, aut per quinque secetur, producetur* Logarithmus *eiusdem radicis.*

Denique quicunque numerus vulgaris ex vulgaribus componitur per multiplicationem, diuisionem, aut extractionem: eius Logarithmus *componitur respectiuè per additionem, substractionem, duplationem, seu triplationem, &c. suorum* Logarithmorum. *Vnde sola difficultas est in numerorum primorum* Logarithmis *inueniendis, qui hac sequenti arte generali inueniuntur.*

Ad omnes Logarithmos *inueniendos, oportet duorum aliquorum vulgarium numerorum* Logarithmos *dari, aut saltem assumi pro fundamento operis, vt in superiore prima constructione, o seu cyphra assumebatur pro* Logarithmo *vulgaris vnitatis, &* 10,000,000 000 *pro* Logarithmo *denarii seu* 10. *His itaque datis, quæratur quinarii (qui primus numerus est)* Logarithmus *hoc modo. Inter* 10 *&* 1 *quæratur medium* propor-

portionale, quod est $\frac{3162277660 17}{10000000000}$. *Sic inter* 10,000,000,000 *&* 0 *quæratur medium Arithmeticum, quod est* 5,000,000,000. *Deinde inter* 10 *&* $\frac{3162277660 17}{10000000000}$ *capiatur medium Geometricum quod est* $\frac{5623413251 91}{10000000000}$ *Et similiter inter* 5,000,000,000 *&* 0 *capiatur medium Arithmeticum, quod est* 7500000000.

In continuè proportionalibus vniuersis.

VT summa mediorum & alterutrius extremi, ad eundem extremum; sic differentia extremorum, ad differentiam extremi eiusdem & medii proximi.

Compendium dimidii Tabulæ LOGARITHMORVM.

DVorum arcuum quadrantem complentium, vt sinus maioris, ad sinum dupli arcus; Ita sinus 30 *graduum, ad sinum minoris. Vnde addito* Logarithmo *dupli arcus ad* Logarithmorum 30 *graduum; & à producto, subducto* Logarithmo *maioris, relinquitur* Logarithmus *minoris.*

Habitudines LOGARITHMORVM & suorum naturalium numerorum inuicem.

I. *DEntur duo sinus & sui* Logarithmi. *Si totidem numerâ æquales sinui minori in se ducantur, quot sunt vnitates in maioris* Logarithmo: *& contrà, totidem æquales sinui maiori in se ducantur, quot sunt vnitates in minoris* Logarithmo;